Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Saxonum regionis quatenus eius gentis imperium nomenque olim patebat, recens germanaque delineatio

Sgrooten, Christian

[Köln], [zwischen 1590 und 1610]

urn:nbn:de:gbv:45:1-323108

Visual Library



Farbkarte #13
B.I.G.
Centimetres
inches
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
HBI 341323824
L 105
4100 16
Landesbibliothek Oldenburg

Goslaria vltra æris, auri argentiq́ minæras, ditissimos salis fontes, quibus & Hala & Luneburgum abundat. Illud quoque memoratu dignum visum, montem haud ita procul à Kupferbergo reperiri, qui lapidem gignat emittentem odorem violarum, quin & marmoris copiam hæc montana exhibent. Est autem hodierna Saxonia vrbibus quam plurimis, ijsq́ue insignibus mirum in modum decorata, quarum maritimę pleræq́ue omnes, ac bona mediterranearum pars Hanseatici sunt iuris ac fœderis, Gymnasijs atque Academijs illustres, viris eruditissimis instructis, vrpote Nathane Chytræo in Acad. Rostochiensi, & alijs. Ex inclyto autem Hamburgensi emporio olim prodijt Ioannes Oldendorpius Iurisc. qui summam in studijs expertus liberalitatem auunculi Alberti Crantzij Historici clarissimi. Gryphiswaldiæ doctor vtriusque iuris creatus, Syndicus primò Reipublic. Rostochianæ constitutus: post Coloniæ Agrippinæ, ac dein Marpurgi multis annis Ius Ciuile in Academia professus singulari cum laude doctrinæ, fidei, industrię, sapientiæ: commentarijs in multas iuris partes editis quàm plurimis, Marpurgi obijt. Eandem patriam suam illustrauit Ioan. Aepinus Hamb. qui præter multiplicem linguarum & artium humanitatis eruditionem, primùm Vitebergæ Theol. doctor creatus, deinde supremus Ecclesiæ Hamburgensis ordinatus est Antistes: cui præfuit annos circiter viginti summa cum fide & diligentia. Nec minus Magdeburgensis vrbs claruit sub Ecclesiæ suæ Præposito D. G. Principe Anhaltino, Comite Ascaniæ, Bernburgi & Seruestæ Domino, is enim primis studiorum rudimentis Vitebergæ feliciter positis, Theologiæ totum se addixit, Magdeburgensis ac Misnensis electus Præpositus, optimi & Principis & Pastoris perfunctus munere, quin & publicis ingenij præstantis, & sanctæ operę monumentis apud posteros relictis quàm plurimis, obijt morte felicissima completo ætatis anno quarto & quadragesimo: Salutis humanæ 1553. anno.

SAxonici nominis etymon obscurum reliquit vetustas. Eorum Tacitus non meminit, quòd tum fortasse ignobiles adhuc erant. Meminit autẽ Ptolomæus, antiquiorem licet Geographiam secutus, is Germanici maris accolas, ac potissimum insulares fuisse docet. Speculum autem Saxonicum in hanc sententiam de eorum nomine differit. Quòd post obitum Alexandri magni Asiatici Petroculis bellum intulerint (eo quòd opem suppetiasque ipsi Alexandro tulissent) eosq́ue è Cilicia expulerint. Ipsi itaque vela dantes ventis, expulsi suis sedibus, appulere decem & octo ratibus in Prussiam, quæ eremus tum erat. Petra autem seu Pétri Græca dictio, Latinis Saxum dicitur: vnde Saxonum nomen deriuatum esse creditur. Ab Asiaticis etiam Becanus & Melanthon deducit, verùm alio modo. dicunt enim Sacas Asiæ populos colonias quasdam à se emisisse ad montes Moschicos, è regione Cappadociæ: alteram, quos sacassones, quasi Sacarum filios apellatos contendit, vltra montes Taurosalteram, ad latitudinem 56 paulò plus minus graduum quam Ptolomæus Saxonum nomine signarit. hoc priore sui parte perinde atque illud posteriore corrupto, Saossones enim symcoptos, vel integrè Saccassones fuissent dicendi id est Sacarum filij. Ex his igitur Sassonibus Saxones nostri Europæi descenderunt. Memini tamen me legisse in Frisiorum (ni fallar) historia, gentem istas, Frisios, Brunsuicenses & Saxones, a Frisone, Brunone & Saxone ducibus denominatos esse: verùm huic sententiæ quisq́uis quantam volet fidem tribuat. Saxoniæ autem veteris fines latius multò quàm modernæ extendebantur. Initium namq́ue eius est trans Albim ab Holsatia, inde transiliens Albim per diœcesim Bremensem in Vvestphaliam vsq; Rhenum ferè pertingit. abinde verò in Hessiam peruenit, ad Herciniam sylvam (qui nunc Hertici montes dicuntur) pertingens ad confinia Thuringiæ, in qua olim non contemnendam partem Saxones militiæ stipendiũ à Francis, quibus militauere, susceperant. Inde iterum submontibus longo tractu peruenit in Regionem Albi non longinquam, complectens Vitebergam & confinia eius, quæ nunc Saxonia superior dicitur: duobus principalibus Saxoniæ sibi titulum vindicantibus. Legitima quadam successione ad principes inferioris Saxoniæ omnis regio pertinet: sed superiorem apprehenderunt Marchiones Misnenses cum dignitate Electuræ, quæ illi inseritur principatui. Meditullium autem huius quam descripsimus prouinciæ, totum ex Vandalico, id est Slauico solo redactam est in linguam & mores Saxonum, in terra videlicet Brunsuicensi, Luneburgensi, Magdeburgensi, & Halberstadensi. Ad eandem verò pertinet nationem omnis Marchia Brandeburgensis, ex eodem solo Vandalico capta ac versa in linguam & mores Saxonum. Præter vrbes autem magnificas, & Gymnasia celeberrima, omnis hæc regio populum habet robustum ac validum, quorum potus cereuisia; cibus autem plerunque lardum crudũ, butyrum, caseus, ac reliqua lacticiniorum genera. Aer regionis durus, attamen purus ac salubris, nisi qua paludibus humectatur nimium, quod Marsis nonnunquam accidit. Gleba fertilis est, rerumq́ue omnium, præterquam vini, prouentu felix. Mechelburgij ducatus fœcundissima fertilissimaq́ue regio frumenti, ligni, lacuum, fluminũq́ue piscosissimorum, pecudum tum domesticarum tum ferarum. vrbibus amplis, arcibus vicisq́ue mirè exculta. Hatim herbam, quam Quadan ipsi vocant, lanarum tinctoribus aptissimam abundè profert in Thuringia, ita vt incolarum pleraque pars annonam sibi ex ea comparent. Sylvas complures complectitur, Lunenburgerheid, Spondawerheid, Ratenawerheid, Galberheid, Pomeritschheid, Hercinię portiones &c. Fluminibus interluitur nobilissimis. Saxoniæ montana mineris fœta sunt. Habet & Goslar a

ALBERS 045
Kocteno298
37(91

Landesbibliothek Oldenburg